

LVNÆ DIE 17 M. AVGVSTI A. 2015

A.d. XVI Kal. Septembres a. MMXV

I 87

# M E L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRATRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## QVID MINIMVM SIT DISCIPVLOS DOCENDVM

- *scripsit Gaius Licoppe (III)* -

In Occidente, præsertim in regionibus ubi vivunt multi mahumetani, apud plerosque cives detegitur «islamophobia», quæ vocatur; qui sensus augetur, si fit ictus islamismorum tromocratorum. Tum civitatum regentes prædicant istos furiosos islamistas non esse confundendos cum pacificis incolis mahumetanis.

Oportet rem attente consideremus. Religio islamica solum nititur *sunna*, quæ constat e Corano et *hadîth*, i.e. ingenti summa traditorum, ad acta et verba Mahumeti eiusque comitum spectante; *sunna* est immutabilis.

Mahumetus voluit suos fideles unum tantum populum componere, qui vocaretur *umma*, atque ipse suam religionem armis imposuit toti pæninsulæ Arabicæ. *Umma* extensa est in regiones, quæ bello posse factæ sunt mahumetanæ; ibi pauci tantum non mahumetani supererant.

Mahumetanorum condicio funditus mutata est, cum, spe melioris vitæ allecti, multi vicesimo sæculo migraverunt in Europam, ubi multo minor incolarum pars fuerunt; se accommodare debebant institutis et moribus non solum differentibus, sed etiam a propria religione discrepantibus; quare plerique impediti sunt ne cum hospitibus commiserentur.

Fatendum est ferocissimos tromocratas in immutabili *sunna* omnia verba et exempla invenire, quibus eorum acta comprobentur; *sunna* nituntur islamistæ salafitæ (qui *islam* originale restituere volunt), inter quos numerantur ferocissimi tromocratæ recentis rebellionis Daesh a nobis ut ignominiosi barbari habiti.

In Corano leguntur inter multa similia v.g. hæc: «Quid est evanidum gaudium huius vitæ cum futura comparatum, nisi res minimi momenti» (*Surata IX*, 38); «Nisi ad pugnandum provolatis, Allah vos cum dolore castigabit» (*Sur. IX*, 39).

In secunda huius symbolæ parte rettuli iam a medio nono sæculo apparuisse sectam Mutazilitarum, qui *sunnam* ope rationis considerare volebant; tantum tamen constabant e paucis doctis, quorum rationis cultus tyrannis displicebat; non mirum ergo si quarto decimo sæculo iam non exstabant.

Nostris temporibus nonnulli sunt docti mahumetani, qui iterum *sunnam* rationaliter examinent. Unum exemplum eligam, Malek Chebel,<sup>1</sup> doctorem anthropologiæ, ethnologiæ, scientiæ religionum necnon scientiæ politicæ, in Algeria anno 1953 natum; qui vir docuit in compluribus universitatibus, Sorbona, Berkeley et UCLA Stanfordinæ in California. Interrogatus a diurnario in diario Bruxellensi *Le Soir* die 14 m. Februarii a. 2015 edito, multa respondet e quibus præcipua seligo.

Ipse creavit locutionem «Islam Luminum»; *Islam*

ita reformare in animo habet, ut fiat liberalis; tamen comperit eo plures fideles fieri atheistas, quo liberalior fiat religio mahumetana.

De verbo Corano dicit id significare «recitationem»; esse verbum Dei (Allah). Coranum gradatim edictum esse a Mahumeto nec paucos asseclas verba Prophetæ conscripsisse. Fuisse quoque, qui Coranum totum memoria tenerent; tempore enim Mahumeti Coranum ore tantum esse transmissum; ipsum non curavisse de recensione neque de ordine *suratarum*. Post eius mortem compertum esse diversa scripta existare, quæ diversimode intellegentur. Primos califas voluisse textum unicum et comprobatum habere; cetera scripta fuisse delenda.

Nunc, ait Malek Chebel, exstat Coranus Sunnitensis, Coranus Sittensis et Coranus Africanus, sed nulla est auctoritas religiosa, cui sit potestas unum vel alium comprobandi. In Corano paucæ sunt narrationes; Coranus potius edicit leges regulasque. Malek autem Chebel putat Deum de regimine politico non curare; omnia ei convenire.

Quæstioni, quid sit *sharia*, respondet hoc significare iussa et viam Propheti sequi. Præscribitur, exempli gratia, ut furis manus secetur, ut feminæ domi maneant, ut feminæ hereditas minor sit quam ea viri; hæ regulæ in usu sunt in Arabia Saudiana.

Conservatores autmant legem *sharia* esse immutabilem; reformistæ contra eam aptare volunt nostris temporibus. Arabia Saudiana et Irania theocratica dicunt reformistas esse infideles. Malek autem Chebel censem *Islam* aptandum esse circumiacentibus condicionibus, respecto tamen Corano. In meschitam convenire solus est ritus fidelibus obligatorius. Nemo quemquam speculator, nemo est, cui peccata sint confitenda; unusquisque suam religionem suo modo tantum coram Deo fingit.

Interrogatus quid sit *djibad*, Melek Chebel respondet duas esse significationes, unam positivam, alteram negativam. Positiva eaque præcipua vult hominem conaminibus meliorem fieri, negativa est bellum sacrum, quod iam fiebat tempore Prophetæ. In Corani paradiiso non solum virgines viris promittuntur, sed etiam iuvenes feminis; hæc tamen felicitas reservatur optimis fidelibus. Contra sibi mortem consciscere Corano imperative vetatur; is qui hoc fecit, recta via mittitur in inferna ac ne sepelitur quidem.

Interrogatus num liceat Prophetæ imagines fingere, respondet interdictionem nullo loco esse scriptam.

Quamquam in Corano scriptum est feminam non esse viro æqualem, Malek Chebel dicit se feminam habere viro æqualem; negat etiam feminam esse

impuram.

Homosexualitas estne interdicta? Respondet eam non esse licitam, non tamen interdictam; agi de fecunditate fovenda.

Quid denique de velo? Nihil impositum, ait; sunt modi vestiendi, differentes in diversis regionibus.

Ut patet e verbis huius mahumetani docti et liberalis, difficile est mahumetanis ordinariis viam novam invenire, quæ apta sit hodiernis institutis et moribus

in Occidente; non mirum ergo si plerique pergunterunt se gerere ut extraneos. 

---

1. Qui vir complures libros divulgavit, quorum recentiores sunt: *Dictionnaire amoureux de l'Islam* (Plon, 2004), *Manifeste pour un Islam des Lumières* (Hachette, 2004), *Le Coran pour les nuls* (Éditions First, 2008), *Coran*, traduction française (Fayard, 2009).

## DE CROATIS BVRGENLANDIENSIBVS

– *scripsit Michael Hirschler* –

**H**odiernis temporibus, quibus Europæ civitates magis magisque Unione Europæa inter se consociatae sunt, varietatem Europæ ethnicam cognoscere omnium nostrum interest. Ex ea re hæc symbola allophylo quodam ethnico in Austria viventi dedicatur. Gentem enim, quæ «Croat Burgenlandienses» vocatur, in brevi conspectu pono. Hæc commentatio ergo est breviarium de historia cultu linguaque Croatorum Burgenlandiensium agrum confinem Austriae Hungariæ Sloveniæ hodiernæ incolentium et nomen suum a Burgenlandia, Austriae civitate maxime orientali, accipientium.

Intra illos sex allophylos ethnicos circulos in Austria ex legibus approbatos, qui sunt Carinthii Sloveni, Hungari Burgenlandienses, Romanes et Sinti sicut Cechi et Slovaci, Croati Burgenlandienses pluri-mi sunt.<sup>1</sup> Croatos Burgenlandienses circiter 25.000 esse æstimatur, quamquam secundum proximum populi recensum anno 2001 actum circiter 19.000 homines se lingua Croatica Burgenlandensi loqui professi sunt.<sup>2</sup>

Croatorum Burgenlandiensium historia ante 500 fere annos oritur: cum Turci enim in Primo bello Turcico contra Windobonam urbem proficiserentur, non solum agros regionesque vastaverunt, sed etiam multos ex populo homines rapuerunt interfeceruntve. Magnis rerum commutationibus a Turcis effectis regiones Hungariæ Occidentalis Austriæque Inferioris hodiernæ usque ad Windobonæ portas pertinentis quoque graviter adflictæ sunt. Quia autem Erdody et Batthyány comitibus latifundia non solum in Hungaria Occidentali, sed etiam in Croatia hodierna sita erant, comites regionem vastatam multitudine Croatorum frequentare constituerunt.<sup>3</sup> Itaque circiter 100.000

Croati coloni in Hungaria Occidentali et in partibus Austriae Inferioris hodiernæ, quæ Campus Moravæ vel Germanice *Marchfeld* vocatur, inter 1533 et 1584 fere annos collocati sunt.<sup>4</sup> Edicto a Cæsare Ferdinando I exarato Croatis lingua et moribus suis uti licet.<sup>5</sup> Iis quoque sacerdotes Croatici erant, ut dei cultus in lingua Croatica celebrare possent.<sup>6</sup>

Croati cum illi in Campo Moravæ viventes cursu temporum linguam Slavicam moresque omittenter et se ad populum Germanicum linguamque eius accommodarent, illi in Hungaria Occidentali regione viventes linguam et mores suos tenere potuerunt, quoniam imperio Austro-Hungarico anno 1867 post Conventionem Austro-Hungaricam constituto Burgenlandiæ hodiernæ regio ab Hungaricæ parte administrata est. Nam lege quadam Hungarica anno 1868 perlata, quæ in scholis exercebatur, linguam in disciplinis adhibitam ipsam per se decernere licuit – ergo lingua Croatica in disciplinis scholaris variis adhibita est.<sup>7</sup>

At longum non fuit et tempora mutata sunt: anno enim 1907 lex scholaris reformata est, cum «lex Apponyi», quæ dicitur, a culturae ministro Hungariano, nomine Alberto Apponyi, perlata esset. Nunc enim, cura civilis non solum ad scholas civiles, sed etiam ad ecclesiasticas pertinuit et lingua Hungarica una et sola lingua disciplinarum facta est. Quam ob rem lingua Croatica in scholis uti non iam licuit.<sup>8</sup>

Anno 1919 foedere Sancti Germani post Primum bellum mundanum composito «lex Apponyi» abrogata et lingua Croatica iterum in scholis adhibita est (articulus 68).<sup>9</sup> Præterea eodem tempore Croatis in Hungaria Occidentali viventibus res magna mutata est, cum fines novi imperio Austro-Hungarico victo et dilapo directi

essent. Hungaria Occidentali ad Austriam annexa hæc regio civitas Austriaca nona creata est. Quæ abhinc Burgenlandia appellatur. Terra autem, in qua Croati usque ad hoc tempus «convivebant», nunc in partes tres divisa est, quæ sunt Austria, Hungaria et Slovacia hodierna. Ex ea re mutatio ad commercium vitamque socialem pertinens consecuta est. Urbes enim mercatoriae magnæ, quæ Scarabantia Savariaque erant, ab Hungaris tentæ sunt, ut Croati Vindobonam vel Græciam (caput Styriæ) movere coactarentur. Ab eo tempore Croati Hungariam Occidentalem colentes nunc «Croati Burgenlandiensi» nominantur.<sup>10</sup>

Austria anno 1938 ad Imperium Germanicum adiuncta Croati Burgenlandienses iterum depresso sunt, quia ex. gr. magistris discipulisque lingua Croatica in scholis uti denuo interdictum est. Immo vero consilium captum esse dicitur, ut ad ibi homines Theodiscos collocandos Croati ex sua regione deportarentur... sed belli turbationis causa hoc propositum numquam peractum est.<sup>11</sup>

Post hoc crudelissimum bellum et post tempus, quo Austria decem annos ab quatuor auxiliaribus obsessa est, tempus melius coepit – etiam pro Croatis Burgenlandiensi: anno 1955 Pactum civitatis Austriacæ subscriptum est, quo in articulo septimo etiam allophylorum ethnicorum iura statuta sunt. Secundum eum articulum Croatis Burgenlandiensi et Slovenis Carinthiis hæc iura sunt (in delectu):<sup>12</sup>

- Hominibus, qui Croatorum Burgenlandiensem vel Slovenorum Carinthiorum gentem attingunt, iura eadem sunt, ut omnibus aliis Austriæ civibus.
- Ius circulos, concilia et nuntios in lingua sua habere ius est.
- Ius quoque est in scholis Croatice atque Slovenice doceri.
- In regionibus, ubi homines habitant, qui allophylorum ethnicorum gentem quandam tenent, est lingua publica non solum lingua Theodisca, sed etiam lingua Croatica Slovenicaque.
- Præterea iis ius est significationes designationesque topographicas bilingues habere.

Evidem non est satis, si iura solum in chartis scribuntur, nam hæc insumenda quoque sunt. Diu Croatis Burgenlandiensi pro iuribus suis in pacto civitatis Austriacæ constitutis pugnandum fuit. Exempli gratia, denique anno 2000 primæ tabulæ bilingues in Burgenlandiæ vicis Croaticis positæ sunt (ergo multis annis post, cum pactum civitatis Austriacæ conscriptum esset!)...

Sed intendamus nunc animum nostrum breviter ad linguam Croaticam Burgenlandiensem:

Per totum tempus hi Croati cum patria primigenia sua tam parve cohærebantur, ut cursu temporum e. gr. natura linguæ eorum aliter progressa sit quam Croatorum in Croatæ hodiernæ regione viventium.<sup>13</sup> Quam ob rem multa verba a Croatis Burgenlandiensi bus aliter exprimuntur et pronuntiantur. Ceterum verborum vis cursu temporum quoque mutata est. Cum Croatus quidam Burgenlandiensis verbum *trudan* dicit,

## Kroatische Dialekte im Burgenland



Tabula geographica, in qua vici Croatici Burgenlandienses inscripti sunt (fons: <http://www.hravtskicentar.at/images/landkarte.JPG>).

«defessus sum» sentit, sed Croatus quidam e Croatia sub hoc verbo «prægnas sum» intellegit. Differentia ergo magna! Croatos Burgenlandienses multis verbis archaicis uti linguisticæ aspectu dicitur, quia consonantium mutatio progressioque non similes erant ut apud Croatos in Croatia viventes. Tamen Croatorum Burgenlandiensi lingua per se ipsa progreditur et verborum thesaurus partim mutatus est. Nam vicini recti causa hominum Theodisce atque Hungarice loquentium Croati Burgenlandienses verba varia ex linguis iis assumperunt et in linguam Croaticam vertentur. Talia verba, exempli gratia, sunt: Hungarice *ablak* – Croatice Burgenlandiensi *oblak* (haud *prozor*, Latine «fenestra») vel Theodisce *wünschen* – Croatice Burgenlandiensi *bijenčati* (aut *čestitati*, Latine «gratulari») et cetera.

Linguæ Croaticæ Burgenlandiensi dictionaria sicut grammatica et orthographia propria sunt. Croati Burgenlandienses quoque periodica et programmata radiophonica televisificaque propria habent: periodicum quoddam iam anno 1910 conditum et *Hrvatske novine* vocatum omnia septimana editur.<sup>14</sup> Ab anno 1946 ecclesia Catholica (exactius dictum a Diœcesi Sideropolitana) periodicum sub titulo *Crikveni Glasnik Gradišća* (Latine «Nuntius Ecclesiasticus Burgenlandiensis») edit. Ad hoc etiam sunt alia periodica ab Croatorum Burgenlandiensi circulis variis edita.<sup>15</sup> Præterea, ut

iam breviter scripsi, Croatis Burgenlandiensibus programmata radiophonica televisifica sunt, quibus ab anno 1979 coddie 42 minutus programmata radiophonica et ab anno 1989 omni Die Solis semihoram programma quoddam televisificum, quod *Dobar dan, Hrvati* (Latine «*Salvete, Croati*») appellatur, in lingua Croatica Burgenlandensi transmittuntur.<sup>16</sup>

Hæ res autem haud prohibent, quin lingua Croatica Burgenlandensis non iam diu exsistere pericitetur. Nam factum est triste in multis vicis multos liberos non iam lingua Croatica Burgenlandensi loqui, quia parentes ipsi cum iis Croatice non loquuntur, ut ingenium loquendi et legendi et scribendi magis magisque omittatur. Nihilominus omnem linguam dignam esse quæ ætati proximæ tradatur constat! Præcipue Aulæ ferrei anno 1989 excidendi et Unionis Europææ ab anno 2004 cum civitatibus orientalibus amplificandæ causa lingua Croatica Burgenlandensis lucrum magnum fecit, quoniam hac lingua non solum linguam Slovenicam, Serbicam vel Bosnicam, sed etiam multas linguas alias Slavicas facilius intellegis discisque, quod in diebus hodiernis magni momenti videtur.

Tamen anno 2009 Unitarum Nationum Educationis Scientiæ Culturæ Ordo (UNESCO) linguam Croaticam Burgenlandensem in lexicon illarum linguarum, quæ in periculo sunt, retulit.<sup>17</sup> Lingua cum autem interit, mox etiam cultura et mores et identitas omittentur. Postremo gens quædam abolescit. Multæ sunt causæ, quibus gens allophyla ethnica subsistat. Evidem non solum leges, quibus iura asservantur, sed etiam gentis fortitudo et voluntas magni momenti sunt, ut in futura etiam exsistat. Præterea, ut opinor, homines alias de Croatis Burgenlandiensibus scire necesse est – etiam trans Austriæ fines. Utinam hæc commentatio ad melius cognoscendum afferat. Hoc eventurum spero. ☩

---

\* Isabellæ Hölbl amicæ meæ carissimæ gratias maxime ago, ut legerit emendaveritque, quæ scripsi. Hanc commentationem aviae avoque meo, Agathæ et Hermanno Fehér, dedico.

Hæc opera adhibita et per notas scripta sunt:

Nikolaus BENCSICS, «Die Anfänge des religiösen Lebens und die Reformation im Leben der burgenländischen Kroaten», in: Stephanus GEOSITS (ed.), *Die Burgenländischen Kroaten im Wandel der Zeiten* (Vindobona 1986) p. 53–58; Marinus BERLAKOVICH, *100 Jahre Hrvatske novine* (Feruum Castrum 2011). Stephanus GEOSITS, «Die Bedeutung der katholischen Kirche für die Burgenländischen Kroaten», in: GEOSITS, *Op. cit.* p. 296–308; Johannus MUELLER, «Volksgruppenrecht – Volksgruppenschutz – Der Staatsvertrag 1955», in: GEOSITS, *Op. cit.* p. 345–353; Geraldus SCHLAG, «Die Kroaten im Burgenland 1918–1945», in: GEOSITS, *Op. cit.* p. 171–221; Felix TOBLER, «Die kroatischen Länder von der Mitte des 15. Jahrhunderts bis zur Mitte des 16. Jahrhunderts. Ursachen für die Auwanderung der Kroaten aus ihrem ursprünglichen Siedlungsgebiet», in: GEOSITS, *Op. cit.* p. 8–14; Felix TOBLER, «Herkunft und Wanderung», in: GEOSITS, *Op. cit.* p. 15–22; Felix TOBLER – Johannus SEEDOCH – Nikolaus BENCSICS, «Die Geschichte des Schulwesens

der burgenländischen Kroaten», in: GEOSITS, *Op. cit.* p. 144–168; Josephus VLASITS, «Die Sprache der burgenländischen Kroaten», in: Geosits, *Op. cit.* p. 254–267; ÖSTERREICHISCHES VOLKSGRUPPENZENTRUM (ed.), *Burgenländische Kroaten, Österreichische Volksgruppenhandbücher 5* (Vindobona 1993); Franciscus PALKOVITS (ed.), *Symposium Croaticum. Gradišćanski Hrvati. Die Burgenländischen Kroaten* (Vindobona 1974); Bela SCHREINER, *Das Schicksal der Burgenländischen Kroaten durch 450 Jahre. Sudbina Gradišćanskih Hrvatov kroz 450 ljet* (Feruum Castrum 1983).

1. Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 8.
2. Cfr. Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 15–17.
3. Tobler 1986a, p. 8–12; Tobler 1986b; Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 9 sq.
4. Schreiner 1983, p. 14–19.
5. Schreiner 1983, p. 21.
6. Cfr. Bencsics 1986; Geosits 1986.
7. Schreiner 1983, 31 sq.
8. Schreiner 1983, p. 32 sq.
9. Cfr. Bencsics 1986, 159 sq. Ad fœderis Sancti Germani textum vide ex. gr. Österreichische Volksgruppenhandbücher, p. 18 sq.
10. Verbum «Burgenlandia» creatum est, quia hæc regio e comitatibus tribus, qui sunt Eisenburg et Ödenburg et Wieselburg, composita est. Hic verbum Theodiscum a Matthæo Meršić-Milaradić, scriptore poetaque Croato Burgenlandensi illo clarissimo, in linguam Croaticam versum est et *Gradišće* vocatur. Quam ob rem Croati Burgenlandenses in lingua sua *Gradišćanski Hrvati* appellantur.
11. Schlag 1986, p. 214–216.
12. Cfr. Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 20 sq.
13. De lingua Croatica Burgenlandensi vide Vlasits 1986; Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 47 sq.
14. De illius periodici historia vide Berlakovich 2011. Etiam vide in reti <http://hrvatskenovine.at>
15. Vide hæc periodica in reti: *Novi glas* (Vide <http://www.hakovci.org/>), *Glasilo* (Vide <http://www.hkd.at>) vel *Panonski list* (Vide <http://www.paninstitut.com/>). Cfr. quoque Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 34 sq.
16. Vide in reti <http://volksgruppen.orf.at/hrvati/>. Cfr. etiam Österreichisches Volksgruppenzentrum 1993, p. 34.
17. Cfr. <http://www.unesco.org/culture/languages-atlas/index.php>.



*Tabula bilinguis vici cuiusdam Croatici in Burgenlandia siti (auctoris imago).*

## DE LITTERIS SÆCVLI XVIII LATINIS PROLVSIO (II)

– *scripsit Theodericus Sacré –*

Iam ad carmina transeamus. Quanti Musa illo sæculo sit æstimata, vel ex eo patet quod cum in hac Urbe in Christinæ Suecorum olim reginæ memoriam condita esset Arcadum Academia, per duo fere sæcula Latina ibi poesis iuxta Italica est exculta. At viri litterarum studiosi, ubi Academiæ annales conscribunt, una carmina Italica mentione atque illustratione digna iudicant, quod Arcades optimæ poeseos speciem præbuerint exemplaque imitanda proposuerint egregia. Quod ut ita sit, constat tamen Academicos in sessionibus suis Latina quoque recitasse carmina a se excogitata; immo tria volumina publici sunt iuris facta, quibus talia poemata sæculi duodevicesimi Latina continebantur; legitur in his Horatii Burgundii (1679-1741), poetæ Brixiani, carmen didascalicum *De motu sanguinis* non invenustum atque Harveiana inventione instinctum; ceterum, cum diversarum nationum poetæ in eam Academiam confluxerint, Anglorum, Germanorum, Hispanorum, Batavorum carmina inibi offenduntur; cumque mulieribus etiam aditus ad Arcades patuerit, poetiarum quoque fetus Latini hic illic leguntur; hæc vero omnia penitus neglecta nunc iacent.

Habuerunt autem poetæ exempla, quorum vestigiis ingrederentur; nec solum veterum poetarum sibi exempla proponebant imitanda, sed etiam ad recentiora respiciebant, quæ optimæ notæ iudices, velut Scaliger, *Poetices* auctor et Morhofius, *Polyhistoris* scriptor, celebraverant atque quodammodo sacraverant. Pro divino ergo poemate habuerat Scaliger Hieronymi Fracastorii carmen de morbo Gallico, sæculo decimo sexto emisum. Itaque posteriore sæculi duodevicesimi parte medicus quidam Frisiacus, nomine Coopmansius, ut morbum quendam novum eumque periculosissimum versibus exprimere quæque ei medicina esset adhibenda exponere voluit, Fracastorii *Syphilida* ante oculos usque habebat dum *Varida* sive de variolis carmen pungit, quod et publice recitavit. Multa ille quidem e Fracastorio sumpsit, at alio detorsit. Namque, exemplum ut afferam, fabulam quandam Syphili pastoris excogitaverat humanista ut, unde ortus esset morbus Gallicus, explicaret; huic æmulatus Coopmansius nympham quandam induxit loquentem, quæ, spreta ab adolescente, morbum variolarum hominum generi inflixit. Egregium ergo erat hoc bona imitationis exemplum, quod mox per totam Europam vulgatum est, quodque etiam versibus Germanicis est redditum; quin immo interpres Theodiscus diu perhibebatur fuisse ipse Goetheus. Obiter hic id mihi liceat repetere quod opere quodam docto bene ostendit Yasmina Haskell, sæculum illud duodevicesimum ceu auream fuisse ætam carminum didascalorum: nihil enim erat quod

non didascalice expoliri posse crederetur, ac mirus fuit eiusmodi carminum proventus; primas autem in eo genere facile egit sodalitas Ignatiana, vel qui ex eorum gymnasii prodierant. Hinc Alexander ille Volta (1745-1826) Neo-Comensis in adulescentia, circa annum eius sæculi sexagesimum, carmen exaravit didascalicum de variis quæstionibus physicis, quo et vim illam electricam attigit et de pyrio pulvere sive pulvere nitrato disseruit eiusque in re bellica usum clare et dilucide exposuit:

Hinc cœpere cavæ secreta per avia terræ  
Infernæ temptare vias cæcosque meatus:  
Scilicet excurrunt per subterranea castra,  
Deveniant donec celsæ fundamina molis.  
Hic ubi castrenses fodere capacius antrum,  
Pulveris aptus nitrati glomeratur acervus.  
Dein patulos aditus iterum ingestu aggere terræ  
Præcludunt reducemque viam retroque relictum  
Passim iter obstruere et cava subterranea certant.  
Tantum escâ instructum servant de more foramen,  
Conceptos ut ad ima vehat, quasi nuntius, ignes,  
Opportunum ubi tempus adest quo tecta sepultas  
Exerat inferno de carcere machina vires. (...)

Dant escæ flamمام, furiit hæc diffusa repente  
Fomite inardescens nitrati pulveris et iam  
Impatiens claustræ cælo sursum undique temptat  
Liberiore frui superasque evadere in auras;  
Quod tandem assequitur magis obluctante renisu  
Exacuens iram; præcelsam hinc funditus urbem  
Eruit. (...)

(*Il poemetto didascalico latino di Alessandro Volta con versione italiana* di Zanino Volta (Ticini, 1899), pp. 36-38)

Carmina vero heroica illis temporibus composita, si longa et prolixa sunt, nobis legentibus idem afferunt tedium quod superioribus sæculis conscripta. At, etiamsi illo sæculo non esset inventum, floruit tamen ea tempestate semiheroicum quasi quoddam genus poesis atque ecphrasticum sive descriptivum, quo vel res minimæ vel lusus populares vel popelli mores venuste et salse narrabantur. Itaque Addisonius ille poeta bilinquis, natione Anglus, ligna mobilia in theatris agitata (sive neurospasta mavultis) descripsit, edito carmine cui est titulus *Machinae gesticulantes - Anglice: a Puppet show*; Vincentius Bourne, qui mediante illo sæculo floruit, cantricum gregiculos in triviis popelli aures devincientes sive catenantes (ut iunctura utar Florentiæ in inscriptione quadam occurrente) attigit, divulgato carmine cui est inscriptio *Cantatrices sive Ballad-Singers*; Beniaminus Loveling, qui eadem tem-

pestate poetabatur, *Festum lustrale sive Baptizationem rusticam* (ita inscripsit carmen) versiculis inclusit, magna cum benevolentia erga rusticos; Iosephus Bernerius, poeta Romanus quem dixi, non solum castanearum tostarum in urbe Roma venditores interdum fallaces ob oculos nobis posuit sed etiam quid in popinis caffeariis Romæ tum pullulantibus fieret scite atque eleganter narravit; Raphael Landivar, *Rusticationis Mexicanæ*, id est Mexicanæ et Guatimalensis, auctor, spectacula naturæ Americanæ meridionalis, animalia patria, gallorum pugnas, ludicra cum tauris certamina magno patriæ amore motus depinxit. Landivar autem mentionem non temere inieci, siquidem in illo fuit grege Jesuitarum Americanorum, qui patriam suam versibus nobilitarunt, quique anno sexagesimo septimo iussu Hispaniarum regis expulsi, Mutinam et Bononiæ in urbes Italiae sese receperunt, ibique desiderio patriæ misere affecti opera sua Latina publici fecerunt iuris. Comites habuit Raphael Landivar Franciscum Alegre, qui venustissimos conscripsit de variolis elegos, et Didacum Abad, pientissimum poetam Lucretianum, natione Mexicanum. Qui quantam ex exilio molestiam ceperint, vel hi versiculi e proœmio Landivariano selecti demonstrant:

Salve, care parens, dulcis Guatimala, salve,  
Delicium vitæ, fons et origo meæ!  
Quam iuvat, alma, tuas animo pervolvere dotes,  
Temperiem, fontes, compita, templæ, lares!

Idem poeta, iuvenes Mexicanos in fine alloquens, hunc versiculum admisit:

Disce tuas magni felices pendere terras!  
(R. Landivar, *Rusticatio Mexicana*, ed. F. Chamorro (Iosephopoli, 1987))

Non hi solum poetæ Americani sunt tacti loci natalis amore; iam audite Bartholomæum Boscovicium, poetam Romæ degentem atque patriæ Rhagusinæ anhelantem; qui dum pangit hos versus pæne divinos, memor dubio procul erat et Ovidii, et Ioachimi Bellaii; namque haud secus ac Bellaius exilium ipsa in urbe Roma est passus, cum urbe Roma caruerit apud Getas Ovidius:

(Barth. Boscovicus, *Desiderium patriæ*)  
Illyrici colles atque altæ antiqua Ragusæ  
Moenia, vagitus conscientia terra mei,  
Quando erit ut vestras redeam vetus exul ad oras  
Flensque feram patriis oscula liminibus?  
Quando erit, Adriaci relegens tumida æquora ponti  
Deprecer ut faciles in mea vota Notos?  
Septima iam gravidum spicis caput extulit æstas  
Et peragit cursus septima bruma suos,  
Ex quo me terris Mavortia Roma Latinis  
Abstractum a dulci distinet Illyria.

Hei mihi, si tectis potui procul esse paternis  
Tempore tam longo, ferreus ipse fui.  
(*Selecta Patrum Societatis Jesu Carmina* (Genuæ, 1747), pp. 78-80)

Mihi credite, auditores: si qua natio illo saeculo poetas ex Italia oriundos vel æquare vel interdum etiam superare potuit, Croatica sane fuit, quippe quæ protulerit Benedictum Stayum (1714-1801), systematum Cartesiani et Newtoniani versificatorem Lucretianum, Rutgerum Boscovicium (1711-1787), Bartholomæi, quem dixi, fratrem et scientiæ poesisque Latinæ lumen, qui *De solis ac lunæ defectibus* poemata condidit, Bernardum Zamagnam (1735-1820), *Navis aeriae* præconem, et præter eam *Echus* auctorem et *Odusiae* interpretem Latinum; Raymundum Cunichium (1719-1794) qui *Iliade* Latine versa palmam tulit, Georgium Ferrium (1739-1820), qui Desiderii Erasmi *Apophthegmata* versibus explicata reliquit magnam partem inedita, Iunium Restium (1755-1814), *Satirarum* scriptorem plenum et uberem. Eorum quemlibet evolute, auditores: in aurea humanistarum tempora revertisse vobis videbimini. Hos sequantur, sed longo intervallo, non Belgæ, verum Batavi, qui tam Jani Secundi, summi poetæ amatorii, quam veterum elegiacorum vestigia prementes, formæ perfectæ atque absolutæ versus de suis puellis facilitate ac levitate quadam Ovidiana elucubrabant eheu prorsus nunc neglectos. Itaque Ianus Van den Broucke suam Deliam, David Hoogstratanus suam Neærnam, suam Gelliam Gerardus David Jordensius, alii aliam elegantissime canebant. Gustum ut habeatis, ecce audite Jordensium suam alloquentem puellam:

(Dav. Jordensius, *Ad Gelliam*)  
Dum nox cœruleis terras amplectitur alis  
Fessaque iucundus pectora somnus habet,  
Hic saltem placido mecum requiesce cubili,  
Hic mecum longas, Gellia, necete moras.  
Non sentit genitor, non invidiosa noverca:  
Omnis abest mulier, vir procul omnis abest.  
Sola comes solito mansit Cytherea nitore,  
Solus adest iaculis solus et igne puer.  
Ambo dant leges, dant iussa potentibus ambo;  
Amborum leges et data iussa sequar.  
Iussa sequar, superum fas sancta capessere iussa;  
Scande modo nostrum, Gellia, scande torum. (...)  
(el. VI, 1-II)  
(Ger. Dav. Jordensii Gellia. Lusus poeticus. Accedunt ejusdem eclogæ et epigrammata (Lugduni Bat., 1763)

Genera quoque minora egregie excolebant multi aliarum nationum poetæ, ut Francogallicæ. Nil suavius, nil elegantius fabulis eis sive apologis quos saeculi parte posteriore Carolus Lebeau quosve Franciscus Desbillons, ille Parisiis, hic in exilio Mannhemensi,

typis commiserunt. Fit autem sœpe ut, dum in bibliotheca nescio qua versaris et in pluteos paulo remotiores oculos conicis, incidas in opuscula quæ tanto sunt obruti situs pulvere, ut ne de poetæ vita quidem eruerre valeas quicquam: hinc factum est ut ipse, cum venustissimum invenissem carmen *De inventione sermonis*, quod mihi Lucretium redolere quodammodo videbatur quodque undevicesimo ineunte sæculo typis erat excusum, eodem ævo, id est circa annum 1800um conscriptum fuisse existimarem; postea Antonium Franciscum Chivot (hic erat enim auctor) medio sæculo duodevicesimo floruisse varios fontes diu scrutatus tandem animadvertisi; nil ergo mirum si id carmen, quamvis sit elegans, ex hominum memoria est dilapsum et philologis, quotquot nunc sunt, prorsus est incognitum; quod ego aliquando ab oblivione sum vindicaturus.

At mitto poetas, ne solutam eius ævi orationem intactam indictamve relinquam. Namque reperiuntur prosæ orationis auctores qui famam immortalem sunt nacti, reperiuntur etiam qui, dum vita eis erat superstes, passim lectitabantur, postea in oblivionem ierunt.

Ludovici Holbergi opus, quod inscribitur *Nicolai Klimii iter subterraneum* et mediante sæculo est evulatum, tota dein Europa ut ita dicam devoratum variosque in sermones conversum, comparari illud quidem potest cum Mori *Utopia*, argumento vero multum differt; qua in mythistoria, cum sit omnibus notissima, non immorabor; at Holbergio auctore extant etiam quattuor *Ad virum illustrem epistola* (1728-1743) autobiographicæ, quibus ille de sua vita, de itineribus, de rebus suo ævo gestis, de litteris etiam multa scitu dignissima narravit. Attigit in his alicubi urbem Hafniensem anno duodetricimo incendiis ex parte deletam; quam cum narrationem legetis, videbitis relationi rerum ipsarum memorias litterarias immixtas esse atque Holbergio Vesuvii eruptionem a Plinio denarratam ob oculos usque esse versatam:

Igitur, quo inexpectatior hæc calamitas accidit, eo magis attoniti homines quævis peiora ominabantur. Audires ululatum feminarum, infantium quiritus, clamores virorum. Nec defuere qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augebant quique subornatos esse incendiarios falso, sed creditibus nuntiabant. Neque iis, quorum officium est ignem compescere, animus magis constabat.

(*Ludvigs Holbergs tre levnedsbreve 1728-1743*, ed. A. Kragelund, II (Hafniæ, 1965))

Historiarum autem scriptores Latinos ævum illud genuit minime paucos. Apud Italos, ut exemplum afferam, Castruccius Bonamicus (1710-1761) tam elegans scriptor Latinus esse perhibebatur, ut eius *Commentarii de bello Italico* (1750) semel atque iterum typis sint excusi.

Sunt autem minime pauci ab oblivione vindicandi,

velut legatus ille sive orator, cui Carolo Gustavo Schultz ab Ascherade (1743-1798) erat nomen, qui *Res suo ævo gestas* (1787) ita contexuit, ut quæ per decem annos mediante sæculo tota Europa essent gesta Corneliano expresserit stilo, terræ motum Ulyssiponensem mirandum in modum descripsiterit, bella permulta presso admodum dicendi genere persecutus sit, etiam attemptaverit in universum adumbrare quæ essent eius ævi res propriæ, et variorum populum ornatus cultusque modos oculis legentium singulatim obicere. Qualis sit scribendi artifex ex hoc uno exemplo discatis:

Tradenda scriptori occurrunt, varia inter fortunæ ludibria, collata sæpius arma, magnarum urbium excidia, irrita foedera ruptaque, clades ingentes seditionesque, anceps præliorum sors, atroci bello imposita pax velut in ludicro certamine nullius incremento insignis, clari pro patria ducum obitus, occisi sicaria vel fraude petiti reges, *in consiliis sagacitas ac constantia*, probatis et gerendæ rei publicæ gnaris potiora subinde scorta (...) (Carolus Gustavus Schultz ab Ascherade, *Res suo ævo gestæ* (Londini, 1789))

Ceterum si Cornelii *Annales*, auditores, misere mutilos integros perlegere cupitis, hoc sæculo duodevicesimo invenietis qui vobis suppetias adveniat Gabrielum Brotierum (1723-1789), qui Tacitum in lucem edidit anno eius sæculi uno et septuagesimo adnotatione illustratum, et «stilo moreque Corneliano», ut ipse asseveravit, complures *Annalium* supplavit libros; quos non ideo addidit ut falleret quemquam eamque operis partem a se nescio qua in bibliotheca denuo repartam mentiretur, sed ut legentes delectarentur opere continuato. Neronis ergo Cæsaris mortem dicendi genere Corneliano-Brotieriano relatam si volueritis, aperite Brotieri Tacitum. Multos heic omitto litterarum auctores; unum omittere non possum rerum scriptorem, quem sæculum tulit duodevicesimum: abbatem dico Lhomond, quippe qui tamdiu pulvere scholastico et discipulis legentibus sit gavisus, ut egometipse ante hos quadraginta quinque annos, ut tiro Latine discerem, illius viri *De viris illustribus urbis Romæ* lectitare ac Nederlandice vertere sim compulsus, ignarus ea tempestate neotericum me tractare rerum scriptorem.

Dies me deficiat si de eloquentia vel de dissertatiibus illius sæculi dicere velim quæ sunt dicenda. Namque ut poetis genus didascalicum numquam non erat præsto, quo quodvis argumentum versarent, sic ab orationibus Latinis nulla excludebatur materies oratorie tractanda. Hinc Gisbertus Hemmy (° 1746) anno sexagesimo septimo patriam suam eiusque cum adinventionem, tum virtutes primus adumbravit, habita oratione *De promontorio Bonæ Spei*, ubi inter alia leguntur hæc: «Promontorium Bonæ Spei in ora Caffrieriæ situm est. Antiqui incolæ erant Hottentottæ». Item Christianus

Heynius, professor Gottingensis idemque orator uberrimus anno uno et nonagesimo Australianos et Novam Cambriam australem sive coloniam recens ibi colloquatum attigit, habita oratione cui est titulus *Comparatur deportatio in Novam Cambriam australem cum deportatione Romanorum in insulam*. Apud Gallos Carolus ille Poré, Voltarii præceptor, *De theatro* habuit anno tricesimo tertio orationem, qua maiores fructus e tragediis legendis percipi posse contendebat quam ex historiographis. Ac dum Horatii Benedicti de Saussure, naturæ speculatoris Helvetii et professoris Genavensis, orationes evolvimus inaugurales, quas exploratis molibus glacialibus in regione Campi Muniti, qui Campus Gallice nuncupatur Chamonix, conscriperat ut earum indoles et origines explanaret, et scriptoris et rerum, quas descriptis, admiratio nobis etiamnunc incutitur.

Nihil omnino est adhuc a me dictum de inscriptiōibus titulisve Latinis; at verbo rem me absolvere posse puto, facta mentione Stephani Antonii Morcellii: qui exeunte illo saeculo, præclaris editis Latino sermone voluminibus, utilissima præcepta, atque exempla huius artis dedit innumerabilia, luxuriem ac nimia ornamenta artis barocæ severissime recidit, ad consuetudines scriptorum veterum atque ad humanistas rediit ceterisque, ut idem facerent, persuasit feliciter; nec mihi vera dictis augere videor, dum illud affirmo, quæ vos saeculi duodecimisimi exeuntis necnon undevicesimi specimina artis huius hac in Urbe ceterisque in urbibus Italiæ oculis lustretis atque admiraremini, ea fere singula, si non ipsius manu sint scripta, at manu Morcelliana stilum alienum dirigente esse condita.

Plura volentem prohibet hora provecta; nec si decem vel quindecim clepsydras petissem ac totidem mihi essent datae, omnia quæ vellem, hocce possem conspectu amplecti. Proinde sinite me uno solo genere superaddito orationi finem imponere; facere enim non possum, auditores, quin hoc loco Christianum Adolphum Klotzium memorem, quem ego scriptorem in deliciis habeo, poetam validissimum fuisse censeo, philologum eximium, commentariorum periodicorum editorem et scriptorem iucundissimum, atque satirici generis auctorem singularem. Dolendum sane est quod virum immatura præripuit mors fere tricenarium. Huius enim opusculis – seria mitto, ad faceta adverto animum – ut mores quidam castigantur, ita ioci coarcvantur quos legere nequeas quin tibi risus semel atque iterum oboriatur. Nil suavius *Dialogo eius bibliopola et eruditus viri*, ubi homo semidoctus, dummodo sibi nummi solvantur, paratus est ad quasvis commendationes exarandas, quibus novi exornentur libri:

(Chr. Ad. Klotzius, *Genius saeculi* (Altenburgi, ca. 1761))  
 (Eruditus:) «Esne bene nummatus?» (...)  
 (Eruditus:) «Exornabo: en tibi decem præfationes per otium a me conscriptas. Fac eligas aliquam.» (...)  
 (Eruditus:) «Nondum, fateor, vidi librum illum et legi.

Nondum quid in eo scriptum novi. Laudavi tamen eum amplissimis verbis: nullum elegantioris doctrinæ studiōsum illo carere posse dixi; auctorem maximum nostræ ætatis ornamentum esse iuravi per omnes Musas. Nihil superest quam ut tu nomen auctoris addas.»  
*(Dialogus, Bibliopola et eruditus)*

Maiores autem mihi risus concitavit opusculum, cui est titulus *Agricolæ Bonfidii Commentarii de rebus ad se pertinentibus*, utpote quo orbis academicus vel eiusdem nævi quidam irrideantur. Narrat enim ibi fata sua agricola quidam, qui argumenta e philologorum scriptis furatus, de capillis Romanorum dissertationem conscripsit eruditione refertam; laurea inde doctorali donatus, interque professores academicos promotus, prælectiones habet, usus aliorum virorum dictatis; ubi vero calamitate incendii oppressus est et ob id plane destitutus scriptis alienis, quorum se ope doctum esse iactet seseque hominum existimationi venditet, collegas quamplurimos tam in patria quam peregre per litteras adit, ab eisque petit ut ipsi et epistulas mittere dignentur ac sua dictata ipsi tradant in manus, quo sapientior atque eruditior doctor denuo audiat. Tertium vero est opusculum, quod his duobus vi satirica præstare videatur; Klotzius enim et theologorum quorundam et nobilium virorum risit ignorantiam, ad id adhito sermone Latino-Theotisco; quo facto ostendit se *Epistolas Obscurorum Virorum*, saeculo decimo sexto scriptas, magna cum delectatione perlegisse; nec minor (mihi credite) nobis delectatio Klotzium legentibus. Fingit vero Klotzius, Virum Nobilem, nomine «Carolum Villellum Sigismundum Adolphum, liberum dominum de nullo-ingenio, vocatum Stultum», novo indigere pastore; ideo ad amicum et vicinum litteras dare, quibus exponat qua novum pastorem indole quibusve virtutibus præditum esse oporteat:

(Chr. Ad. Klotzius, *Genius saeculi* (Altenburgi, ca. 1761))  
 Alte-bene-nate Domine,  
 Multum amate Domine Frater,  
 Quando Vos Vos bene invenitis, sic est mihi carum.  
 Ego me invenio bene. Domine Frater, potestis cogitare, quomodo diabolus suum ludum habet? Magna mihi fatalitas pro brevi obviavit, quam mihi vero non valde ad annum traho: nempe meus pastor morexit et locus nunc est vacuus. Nunc autem Vos scitis, ut habeo ius Collaturæ et sum patronus templi. Sed quia mihi notum est, quod vos habetis multam reconnoissanciam, et ego non scio, quem sumere debeo, sic peto Vos, quod mihi unum bonum subiectum recommendatis. Sed hoc debetis apud hoc observare, Domine Frater, ut candidatus non habet mulierem, et potest bene bibere et ludere. Enim ille oportet nubere meam Cameræ-puellam, quia eam non amplius volo habere, quia non magis pulchre videt. Sub hac condicione debet pastorum accipere. (...) Ille potest cum me edere, sic sæpe

ille vult. (...) Sed ille oportet etiam adspicere, ut rustici nullam feram aut lignum furantur, et illud in suggestu proferre. *Enim vetus pastor (Deus habeat illum beatum!) erat non ad meum gustum.*

Habuit autem Klotzius quasi cœtum quendam amicorum et æmolorum in eodem genere sese exercitan-

tium. Unde factum est ut Iohannes Fridericus Herelius, qui anno octingentesimo vita cessit, Klotzii, ut mihi videtur, exemplo instinctus, *De statu reipublicæ Moropolitanæ* satiram emitteret anno sexagesimo septimo. At nihil ego de ea. Sat enim prata bibisse puto. Dixi. ☩

## DE IVCVNDA FABELLA ALCHEMICA

*- textum proponit Stephanus Feye -*

**A**lchemista Gerardus Dorneus Belga, Paracelsi doctrinæ divulgator, tibi iam est notus, amice lector.<sup>1</sup> Cuius auctoris in tertia libri c.t. *Chymisticum artificium* parte,<sup>2</sup> fabellam iocosam invenimus sub colloquiorum forma elaboratam, quorum sensus alchemicus solum e personarum nominibus proditur patetque.

Cum autem textus noster plus 100 voluminis paginas occupet, multa tollemus, compendiosa tamen ablatarum summa partium facta.

Antea auctoris prologi extracta et fabellæ argumentum ponemus. Vale!

ARTIFICII CHYMISTICI PARS TERTIA, Mineralem Genealogiam continens  
PROLOGUS

Tria sunt quæ potissimum desiderantur ab hominibus in hoc mundo, nempe Divitiæ, Sanitas, et Sapientia. Verum quod vix unus eorum qui hæc optant cognoscere potuit hactenus, etsi literatissimus, in quibus ista sita sint aut reperibilia, ferme nulli reperiuntur, qui suum optatum assequuti sint.

- Quandoquidem illi qui suo labore Divitiæ ob honores, avaritiam, aut alias ambiunt, quo magis abundaverint his, ea via plus etiam sitiunt, inopibusque patientibus et spretis pauperiores existunt, ac viliores coram Deo.

- Qui vero Sanitatem corporis anxie nimis diversitatibus medicaminum quærunt, confusius naturalem unionem atque proportionem partium vitæ solvunt, cum earum unione per unionem, vitæ fortificatio consistat.

- Et qui Sapientiam in scriptis hominum quantumvis elegantibus et subtilibus venantur, quanto his doctiores evadunt, tanto profundius merguntur in tenebras.

Quapropter nullus horum semitam rectam ingressus, ad scopum eorum quæ petit pervenire potest. Inde

fit, ut sub labyrintho semper cæcutiant, qui priusquam noverint quid et in quo quærendum sit, ante verum tempus currunt.

(...) Nec est quod ob Allegoriæ tractationem huius, sub rudi sermone conscriptam, abhorreat animus a lectura. Nam sub Sapientia, quæ videtur hominibus maxima stultitia, Sapientiam suam conclusit Altissimus, ut qui mundo sapientes fore videntur, vere stulti sint, et econtra, quos mundus iudicat stultos, vere sapientes, ut Christus et Apostoli sui fuere. (...)

### IN ALLEGORIAM HANC ARGUMENTUM

*Titan* cum *Oceanitide* sua coniuge filios quinque filiasque duas contraxit, natu maximum nomineque *Sollicitum*, post quem successit *Rudis*, postea *Lætus*, demum *Iratus*, et quinto *Facetus* fratres. Quibus duæ sorores exstiterunt, *Vana* prior, et *Assidua* posterior.

*Sollicitus*, quod Sorbonem Gymnasiarchum et suos collegas sapientia superasset, horum persuasione tamquam stultus induxit a Patre. Quod Sorbonum astutia factum est, puero fortassis ea quæ celata perpetuo vellet, in vulgus proferenti, ne fides quam stultis adhiberi solet maior adhibeatur.

*Rudis* autem electione propria factus est *Agricola*, *Concionator* vero *Lætus*, *Iratus* *Carbonarius*, et *Facetus* *Aulicus*.

Ob interpellatam a *Sollicito* concionem Sorbonis, cum *Faceto* fratre suo per fraudem hæreseos accusatur coram Principe necnon populo, datis etiam *Bibone*, *Quadrælamboque* falsis testibus.

Relegatis autem a Principe (dolum Sorbonicum hoc non ignorante) pueris ut pax inter cives illæsa foret, industria Nymphæ cuiusdam post annum redit uterque, Rex biceps iam factus, et manu dextra poculum Sanitatis, atque Divitiarum altera scepturn gestans.

# ALCHEMICA FABELLA

Vindictam vidit *Facetus* de suis inimicis, ac fratriis a Veritate sumptam, non prius tamen quam *Sollicitus* Patrem atque Matrem gravissimis decumbentes morbis ob filiorum exilium, et ab omnibus Medicis incurabiles relictos, curasset, eosque *Facetus* aliosque Parentes et Amicos innumeris ditasset opibus, fratres vero sororesque Reges et Reginas coronasset.

Cuius historia Parabolæ non parvam adfert naturæ studiosis abdita perquirentibus intelligentiam.

## COLLOQUIUM QUO TITAN PATERFAMILIAS OCEANITISQUE MATER DE SUA PROLE CONSULUNT

TITAN – O chara mihi socia conjunx, nati nobis quinque grandiusculi, iam artificio quopiam omnes merito sunt instruendi, ne forte nobis vita functis mendicare cogantur. Et si contingat ex dono Dei proles amplior, fratres postmodum sororesve provehere suis laboribus una cum suis uxoribus natisque propriis qui seniores sunt, valeant.

OCEANITIS – Optime rem perpendisti. Verum considerare te prius oportebit, quodnam opificium cuique sit utilius. Tot sunt enim hoc sæculo mechanici, ut vix propter alterum alter quivis possit vivere.

Ti. – Faxit Altissimus, bonæ quidem voluntatis panem tribuit omnibus. Non potest obesse copia boni, quod siquidem uni loco superfluum est, alteri quandoque deficit. Hoc solum cupio, ut veram artem addiscant, ad quam natura potissimum inclinati sunt, et non aliam. Sic enim solent artifices in suis artibus alios excellere. Oc. – Quod voles fiat! Vocentur, et ab ipsis mentem eorum perquire.

[*Pueris arcessitis Pater 15 dies relinquit ut quisque deliberet ac artem sibi exercendam seligat secundum propriam indolem ...]*

Oc. – Placet optime quod hilari vultu recedant, nec ægre tulerint. Boni quid ominis inde video.

Ti. – Nonne tu, quæ frequentius apud ipsos degisti me, nonnullis indicis percipere potuisti quibus rebus ludendum inter, aut alias, intenti sint?

Oc. – Natu maximum Sollicitum animadverti sæpius in somno de rebus gravissimis disceptantem, vigilanteque tacite mussitare semper, ac si quid moliretur ardui. Rudem in horto perpetuo degentem reperio. Lætum audio sæpissime canentem Psalmos Davidicos. Iratum assiduo struentem ignes reperio. Facetum vero nobilium gestus repræsentantem, quasi tragedias agebat gravissimas, admirata sum.

Ti. – Tace, nihil horum illis dixeris, sine facere per se quod in his volent. Interim animadverte sedulo quid agant, mihi que secreto refer omnia.

Oc. – Ita fiet.

Ti. – Quid filiæ?

Oc. – Pectine, speculo, mundanisque vestibus, totos

dies Vana terit. Quam nere, suere, vel rem agere domesticam, nihil ægrius ferre potest.

Ti. – Præveniendum est dum adhuc tenellæ fuerit ætas, ne grandiuscula gravius admittat verbera.

Oc. – Non desunt ista, nec efficiunt quod volo.

Ti. – Voca me quum opus esse videris.

Oc. – Crude nimium cedis.

Ti. – Satius est flere prolem, quam deploare Parentes vitia quæ commitit postmodum ob nimiam indulgentiam vel castigationis potius negligentiam. Virgæ non dilaniant ad membrorum dissolutionem.

Oc. – At in istis, ut in cæteris, modus est observandus.

Ti. – Noli hac de causa quin mihi signifies omittere, si tibi virgisque tuis obtemperare nolit. Non ita sum ignarus, quin mihi temperare norim dum oportet, maxime quod sciam puellas magis teneras fore pueris, atque delicatores.

Oc. – Faciam. Experiar quam in castigando sis prudens. Non enim ita Matrem filii filiæque metuunt ac Patrem.

Ti. – Quamquam Patrem filios, Matremque filias oportet regere ac instruere, nihilominus et castigatio decet utriusque prolis utrumque Parentem. Pro tua parte non indulgeas. Quod præstare per te non poteris, aut ubi vires deficient, mihi committas.

Oc. – Non semper es præ manibus.

Ti. – Qum rediero indicas saltem.

Oc. – Verum dum candet ferrum est cudendum, non ubi refrixerit.

Ti. – Non ita cum prolibus, imo contra, satius est castigare frigido sanguine prolem, quam ferventi, ratione duplice. Priore, quia meliorem servare modum cedens poterit, ægriusque vapulans inopinata ferre verbera. Nam prævisa minus iacula feriunt, quo fit ut postea magis metuant. Nisi reprimatur Vanæ vanitas, periculum adesse video ne grandior procos admittat facile, nostri maximam in ignominiam.

Oc. – Hoc si futurum scirem, iamiam illi gutturi, uti palumbo solet, abiecta pietate stringerem.

Ti. – Nec ea crudelitate si prospexeris opus habes. Domum exire sine te non permittas utramque. Quod optimum est remedium, cum cæteris ut admonitionibus ad pietatem et honestatis observantiam. Otium eis fore nullo modo permittas. Nam illud est ut omnis vitii, luxuriæ potissima radix, alia ventris nimia repletio, tertia vestimentorum et ornatus excessus. Verum, quid Assidua?

Oc. – Ollas fricare, terere patinas, et verrere pavimenta numquam cessat.

Ti. – Bone Deus! Alteræ prorsus contraria conditio. Bona Materfamilias (Deo favente) futura est haec.

Oc. – Itidem spero. Nam vestium ornatum præter necessitatem negligit.

Ti. – Non minor est nobis adhibenda, ut haec in sua simplicitate conservetur ac ut retrahatur altera soror a sua vanitate, cura. Quapropter, ne per istius exemplum

altera corrumpatur, ad huius imitationem ut exhortetur oportet.

Oc. – Assidua sororem assidue vanitatis et otii corripit.

Ti. – Bene est, et ipsa tu simula te magis affectam Assiduæ quam Vanæ, licet in corde tuo sit utriusque par et æqualis amor.

Oc. – Pænitet certe quod nomen hoc in Baptismo sit inditum illi. Nam sane videntur et mores eius ac vita penitus ex diametro correspondere.

Ti. – Tace precor! In cor tuum non intret supersticio. Putas, tu fatua, nomen ad Baptismum aliquid addere, vel eius esse potentia, ut inclinare valeat personam, cuius est nota sola discriminis inter alios?

Oc. – Vides tamen Assiduam vita, moribus quoque referre nomen.

Ti. – Casu quodam id factum putas. Nonne probo nomine signati sunt baptizandum inter, qui nequissime vixerunt, contra qui, turpi nomine vocati, pie sancteque vitam egerunt in finem usque? Valeant iste futilis opiniones, Deoque soli serviamus, non somniis hominum, quantominus ipsis!

*[... Tempore dicto absoluto, pater pueros interrogat.  
Maximus natu primus respondet:]*

SOLLICITUS – Sapientiam addiscere cupio.

Ti. – Optime, dum ad eam aptus existas. At ingenti copia pecuniarum hæc iam vix comparatur.

SOLL. – Nolo, Pater, ut ea de causa pro me vel obulum exponas.

Ti. – Qui sic? Vicinus hic noster a dextris pro filio doctorando plus quingentis aureis exposuit. An adhuc Sapiens evaserit minime constat.

SOLL. – Mea non interest, modo libros legere Sapientia legere possim, sat mihi pro principio quodam erit.

Ti. – Lecturam addiscere librorum poteris, et ære satis exiguo, sed Latine an vulgariter?

SOLL. – Non refert quo sermone tractetur Sapientia. Verum quia hoc tempore communius Latino sermone scripta reperiuntur, is mihi commodissimus foret.

Ti. – Sorbonum igitur Gymnasium erit adeundum.

SOLL. – Quocumque voles, Pater.

Ti. – Rudis, adesto! Quod cupis exercitium exercere tu?

RUDIS – Agriculturam.

Ti. – Primum hoc fuit hominum exercitium. At considerasti prius quod ingentis et intolerabilis pene laboris existat?

RU. – Scio, Pater, at genus hoc hominum felicissime vivere video licetque multis insudet laboribus, vita sanum et plerunque diutius vivit illis, qui deliciis vitam et otio transigunt.

Ti. – Vera loqueris. At vide ne laboris tædio fatigatus postea te pæniteat.

RU. – Minime, Pater. Istis hominibus labor est requies, et econtra hæc labor maximus ubi nimia.

Ti. – Mirum hoc foret.

RU. – Omnis assuefactio iuventuti potissimum est altera natura.

Ti. – Unde hæc habes? Numquam enim expertus es aliquem labore.

RU. – Audivi sæpius rusticos hac de re disserentes,

quos animadverti statu suo plurimum esse contentos.

Ti. – Post crapulam idipsum illis evenire solet. Verum ubi census Dominis persolvere necessum est, alias loquuntur.

RU. – Quicquid sit, illis deficere numquam aut raro visum est.

Ti. – Divitibus quidem rusticis aut villicis, pauperibus autem, quid?

RU. – Et illis in pagis labor non deest quo sustentari queant.

Ti. – Nec Oppidanis, modo libenter operentur.

RU. – Profecto, Pater, his diebus aliquot Artifices bonæ voluntatis vidi, qui per totam civitatem operis conditionem sui quærentes, et nullam invenientes, mendicare coacti sunt, quo perit in me quodvis artificium præter Agriculturam addiscendi voluntas.

Ti. – Hoc illis evenire solet qui vagabundi solum, et nondum artis periti, varias petunt regiones perdiscendi causa. Verum civibus et residentibus, non.

RU. – Salva pace tua, mi Pater, est hic quidam noster vicinus et sartor, qui medio temporis anni spacio quiescere cogitur invitus, quod eius opera non utantur homines.

Ti. – Forte suam artem non usque adeo callet, aut bibit, vel otiat, quam laboret libentius.

RU. – Vir est omnino sobrius, diligens, artisque suæ peritissimus.

Ti. – Firmiter Agriculturam in animo hærere tuo video. Faxit Dominus Deus ut probus et patiens algoris atque sudorum fias Agricola! Tu, Læte, quid artis elegisti?

LÆTUS – Verbi Dei Praeconem agere cupio.

Ti. – Pium est officium et salutare, quibus exercere iuxta præceptum Dei contingit. Quid ad eam conditionem te movit?

LÆ. – Quod nulla videam alia ratione meliori me Deo placere posse.

Ti. – An forte putas hoc te salvum fieri?

LÆ. – Minime gentium, sed quia primum hoc studium viro mulierive cuivis fore debet, ut gratiam et pacem cum Deo proximoque habeat. ☩

*(continuabitur)*

1. Cf. *Melissæ* fasc. n. 161 et 177.

2. *Chymistici physici Metaphysique secunda pars et tertia...* Gerardo Dorn auctore, sine loco, MDLXIX, p. 247 et sequ. Operis totius (i.e. trium partium et duorum voluminum) versio Francogallica cum præfatione et notis a S. Feye facta in lucem edita est apud Bœya Éditions (Grez-Doiceau) m. Martio 2015.

# ATLANTIS

## III - OLAVS RVDBECK ÆVVMQVE NOSTRVM

- *scripsit Francisca Deraedt* -


Olaus Rudbeck (1679-1702) vocari potest Suetus Kircherus. Hic enim vir, medicus, anatomista, rector universitatis Uppsalæ, etiam botanicæ, geologiæ, cartographiæ, architecturæ multarumque aliarum disciplinarum erat peritus. Fuit procul dubio vir doctus inter omnes Suetos sæculo suo clarissimus et in regione sua auctor moderni ævi scientifici.

At etiam antiquam historiam colebat radicesque Suetiae nationales. Opere divulgato c.t. *Atlantica sive Manheim, vera Japheti posterorum patria*, aliquid novi intulit in Atlantidis mythum. Cum enim affirmaret Atlantes Suetiam inhabitavisse, ubi se collocasset Atlas, filius Japhet et ergo nepos Noe, Hyperboreos declarabat populum electum, ad maxima vocatum. Mythus sic transformabatur in theoriam nationalisticam.

Rudbeckius *Atlantidis* primum tomum anno 1679 publicavit, secundum anno 1689, tertium anno 1698 et quartum anno 1702, partim tantum, cum ultima manuscripti pars igne deleta numquam postea esset rescripta. Hoc autem libro, quem ipse habuit ut summum vitæ suæ opus, et historia et scientia nisus est ad confirmandum finem politicum. Usus est descriptionibus geographicis, ut positione stellarum a Platone explicata. Scripta antiqua contulit cum mythis Sueticis. Miris etymologis monstravit Herculem et omnes deos Græcos origine esse Suetica. Nihil non invenit ad thesin suam sustinendam. Platonem vinum et elephantes in Atlantidis descriptione commemorare? Prorsus aliter esse intellegendum: nam vinum re vera fuisse hydromeli, elephantes lupos. Plato scripserat Atlantidem fuisse magnam et potentem nationem, perfectam et exemplarem. Oportebat eam ipsam nationem esse Suetiam.

Iohannes Baptista Vico (1668-1744) in opere c.t. *Principi di Scienza nuova* ('Principia scientiæ novæ', II, 4) satis severe derisit Olaum Rudbeck aliasque auctores, qui propriam patriam huiusmodi theoris studerent extollere. Hæc tamen vituperatio non impedivit quin Angelus Mazzoldi (1799-1864) Rudbeckii enuntiationes infirmans proclamaret Atlantidem sine ulla dubitatione esse pæninsulam Italicam, cultus civilis cunabula.

Post philosophos, geographos et historicos, sævierunt fautores occultarum scientiarum. Tanta phantasia adhibita est, ut vix sit narrabile. Inter multos auctores memorare iuvat poetam Villelimum Blake (1757-1827), Ignatium Donnelly (1831-1901), qui etiam prædicavit opera Shakesperiana re vera scripta esse a Francisco Bacon, theosopham Helenam Blavatsky (1831-1891). Etiam nazistis placuit originem electi populi in Atlantide invenire, ut patet ex opere Caroli Georgii



Olaus Rudbeck (Wikipedia)

Zschätzsch, *Atlantis, die Urheimat der Arier* ('Atlantis, antiqua Arianorum patria', 1922).

Denique, die 20 m. Octobris a. 1912, quidam Paulus Schliemann, nepos clari archæologi qui Troiæ ruinas patefecit, manifesto cupidus avi æmulandi, in diario *New York American* palam nuntiavit se Atlantidem invenisse. Postea patuit rem fuisse iocum, atque etiam dubitatum est num auctor re vera esset archæologi nepos.

Postremo multæ etiam fabulæ nubeculatæ excogitatæ sunt de Atlantidis ænigmate, inter quas duæ saltem pertinent ad claras in hoc genere personas: Blake et Mortimer, necnon Corto Maltese.

Terra perpetuo mutatur. Alia litora deprimitur, alia contra eriguntur. Insulæ sive nascuntur sive dispergent. Montes ignem evomunt. Planeta noster, sicuti nos ipsi, paulatim transformatur. Ex tempore, quo probata est theoria continentium fluitantium, ex tempore quo demonstrata est Pangæa et Panthalassa, nonne fieri potest ut in oceanis multæ iaceant Atlantides, i.e. terræ submersæ? Mythus tamen manet integer, ut hominum somnia. ☺

# IESHV NAZAREN BAR IOSEPH HVMANVS AN METAPHYSICVS?

*- scriptis Victorius Sebastiani -*

## I. HUMANITAS ET METAPHYSICA. HISTORIÆ INFINITÆ ANALYSIS BREVIS OCULIS HODIERNIS.

### 1.1 Ante factum.

Cum Jesus Nazarenus dure et fortasse vi mercatores a templo pepulit et parvum tumultum creavit, Ius Romanum illic vigens «dura lex sed lex» sic dicebat ut præceptum princeps confirmaret: «Honeste vivere, alterum non lædere, unicuique suum tribuere.»

Ergo Nazarenus rite de sua ipsius agendi ratione expicationes dare debebat in Synedrio, ubi Cæphas Rabbuni (ling. Iud.), caput religionis Iudaicæ, a Romanis moderator ordinis publici nominatus est.

Rabbuni ipse igitur officium eodem tempore religiosum et civile habebat. Ita Imperium Romanum ubicumque agebat et in loco fidem inveniebat: «Pacta sunt servanda.»

Factum quidem eo tempore fere solitum vel consuetum fuit, simile ac interrogationes quæ rite hodie quoque propter perturbationes in urbis securitatis curis ubicumque sæpe fiunt: hoc Romani iure omnes populos hodiernos docuerunt.

Certe aliud omnino Romæ recentioris invenimus: ab anno 1796 usque ad annum 1870 papæ fuerunt qui capite, suspendio et laceratione 527 homines nomine dei damnaverunt. Lex damnationis capitis «de facto» anno 1967 a Paulo VI interrupta est, sed «de iure» die 12 mensis Ianuarii anno 2001 a Iohanne Paulo II deleta est in Lege Fundamentali, id est in Constitutione Civitatis Pontificiæ, ad legem maxime servandam: «Ne occideris!»

Temporibus illis Roma rebellionem contra Imperium Romanum permultum timebat. Re vera, cum Nazarenus in Ierusalem honorifice super asino intravit die solis ante crucifixionem, cives honoribus magnis eum acceperunt, sed inter eos fuerunt multi quoque (quibus «Zelotæ» nomen erat) qui Nazarenum certe amabant sed eum secuti erant ad seditionem contra Romanum parati. Pugionem curvum secum habebant periculosem, cui nomen erat «sica», ex quo nomine provenit «sacrius» qui in lingua et Italica et Francogallica et Hispanica hodie invenitur, ita ut cives clandestine occiderent si impedimentum contra rerum mutationem crearent.

Secundum Romæ æstimationem, locus tunc iam instabilis erat, qua re inter annos 66-70 post rebellionem Ierusalem infeliciter a Romanis deleta est. Tristis «diaspora» Iudæorum initium habuit et populus Iudæus per mundum erravit.

Nunc, ad factum perficiendum, Cæphas Rabbuni rite pacta cum Romanis servavit, qua re Nazarenum ad Pontium Pilatum postea misit, ut Præfectoris Urbis Romanus ipse libere sententiam definitivam enuntia-

ret, quia Pilatus iuris expertus erat et pro Pace Romana opportune agebat, ad hoc illuc missus ductu Consulis Romani.

### 1.2 Factum.

Interrogatum: Cæphæ quæstiones, æque ac Pilati interrogationes, præcipue duæ fuerunt.

- Dicunt te hominem seditiosum esse. Quid dicas? (quæstio humana)

- Esne tu Dei filius vel Messias? (metaphysica)  
Responsum:

- De priore interrogatione Jesus Nazarenus, cum certe rem iam prævidisset, facile negavit et de sua humanitate statim Cæphæ et Pilato probationem dedit, quia sermones quos in Synagoga habuit usque tum sine dubio pacifici fuerunt, quoniam auditores omnia confirmare poterant. Concordia semper vincit.

- De altera interrogatione autem Jesus attonitus paullum hæsitavit ante responsum. Post cogitationem, Nazarenus sua proprius mente «ex humanitate abiit et metaphysicam intravit», qua re «Ita est!» dixit et alia de Regno Dei affirmavit.

Exempli gratia, humane sic dicere poterat: «Omnis homines Dei filii sunt! De Messia Deus scit!» Cæpha et Pilatus quid dicerent?

Post responsum, reactiones duræ fuerunt et vehementer:

- Cæphas Rabbuni ira raptus vestimenta suis ipsius manibus laceravit et de «blasphemia maxima» Iesum accusavit, id est culpæ maximæ;

- Pilatus censuit «calumniam maximam» a Nazareno contra Romæ potentiam divinam enuntiatam esse, quoniam inter alia Jesus dixit se «regni sui proprius dei potentiam» tantum agnosceret. Cum res ita esset, Præfector ille sermones pacificos in Synagoga habitos iam non consideravit et Iesum militibus Romanis ad crucifixionem dedit. Milites Romanii reges in odium traditum durum ac ferum habebant usque ab anno 249 ab u.c., id est usque a Rei Publicæ initio (signum «I.N.R.I.» in cruce scriptum iniuria militum contra «Iesum Nazarenum 'Regem' Iudæorum» fuit).

Dei nomen simpliciter dicere non semper pacificum fuit, sæpe cruentum fuit: «Dei nomen frustra ne dixeris!»

### 1.3 Conclusio historico-philosophica.

«Humanitas», ut res in mundo sensibili confirmata, homines conciliat et concordiæ favet. «Metaphysica» autem, ut res quæ in mundo sensibili non adest omnino et confirmationes nobis dare non potest, semper incerta est et semper inspicienda est ad mala vitanda.

Si diabolus extaret (non exstat!) in metaphysica se occultaret!

Re vera lectio historicoo-philosophica uno verbo hæc est: humanitas, si pura, æque ac metaphysica numquam est et ad pacem agendam semper utilis est: «Homo sum. Humani nihil a me alienum puto» (Publius Terentius Afer, Carthagine natus).

## 2. SEDITIO ET EMENDATIO.

Iesus Nazarenus, cuius nomen historicum verum lingua Aramaica est «Ieshù Nàzaren» necnon «Ieshù bar Iosèph», certe pacificus fuit, quia semper est locutus de religione Iudaica corrigenda secundum antiquos prophetas, numquam de altera nova condenda. Religionem Iudaicam traditam permultum amabat et persequebatur, qua re in democratia hodierna Ille est «emendor» ut permulti hodie sunt, neque «seditiosus» («Pro populo Iudaico veni!»).

Ceterum, Iesus numquam Paganis prædicabat ut Paulus faciebat.

Re vera, paucis diebus antequam Pontius Pilatus eum interrogavit, Ieshù (nunc scientiam linguisticae observo et nomen verum a familia et a discipulis enuntiatum dicere volo) ut supra iam dixi pacifice sermones habebat in synagoga, ut in evangelio legimus dum Cæphas Rabbuni antea et Pontius Pilatus, Præfector urbis Romanus, postea eum interrogant.

Ergo de religione Iudaica renovanda actum est, quia «Christianismus» opus Pauli fuit et præcipue opus illud factum est haud paulo post Nazareni mortem, in terra Romana longingua a Palæstina.<sup>1</sup>

Scilicet, Ieshù Iudæus purus fuit ex familia stirpe et fide. Christianus non fuit quia Χριστός nomen est quod numquam audivit et titulus est theologicus Græcus ecclesiasticus (salvator) qui post eius mortem creatus est et prima origine in Antiochia nomen Χριστιανός divulgatum est.<sup>2</sup>

## 3. PAX ET GLADIUS.

Attamen aliqua fuerunt in eius doctrina quæ in societate hodierna nihil efficiunt, sed temporibus illis æqua esse non poterant. Imprimis, ipse Nazarenus aliquid adhuc haud clarum «de gladio» dixit («non ad pacem ferendam adveni sed ad gladium») et apostolus eius princeps, Petrus, semper secum a latere gladium in vagina ferebat. Idem agebat Iulius II Papa miles, qui certe unus non fuit, dum ut solebat cum Michaeli Angelo de arte sacra loquitur.

In colloquio cum Cæpha Rabbuni, Ieshù certe rem maximam affirmavit, quam nemo antea audiverat. Ipse dixit «se Dei filium (Messiam) esse, se in Cælo a latere

dextro Dei Patris sedere et se olim in terram vexillo in manu redditum esse super nube». Certe, sententia nostra humana tantum, «vexillum» signum tam cælesti non est.

Illo tempore homines qui fideles ei erant haud dubie sentiebant eventum illud proxime venturum esse. Fortasse nemo eis explicaverat tempus biblicum semper incertum esse.

Honeste, hodie, historia docente, dicere non possumus hoc sine controversia a sacerdotibus Iudæis accipi posse, qui etiam hodie Messiæ primum adventum expectant, cum catholici alterum Nazarenum expectent. Idem dicimus pro præfectis Romanis, quia Regnum Dei, quod Ieshù ut Rex Iudæorum Pilato nuntiavit, Romæ potentiam obscurabat.

Colloquium istud cum Cæpha Rabbuni et cum Pontio Pilato, cui fama erat hominem durum esse, non solum declaratio theologica fuit sed etiam declaratio politica de auctoritate («Date Cæsari tributum» pro vectigalibus tantum fuit). Id quod, ut postea videbimus, re vera sub quartum sæculum circiter in Imperio Romano Orientali accidit, cum Catholicismus regimini Ecclesia factus est et auctoritatem imperatoriam petebat ad eam imponendam.

Feliciter, ut sæcula luminum docent nemo hodie condemnatur propter sententiam religiosam. Qua re ex lege Romana a Romanis horrende Ieshù crucifixione passus est, neque propter populum Iudaicum, qui sine ulla culpa deicidio a Catholicis postea violenter et cruento condemnatus est usque ad sæculum vicesimum: «Falsum testimoniū ne dixeris!»

Iohannes XXIII Papa ille humanissimus inter alia absurdam asperam precem c.t. «Pro perfidis Hebræis» delevit et ad veniam petendam et ad pacem religiosam componendam iter famosum incepit: Concilium Æcumenicum Vaticanum II, inter annos 1962-65 effectum et a Paulo VI Papa completum.

## 4. DOGMA THEOLOGICUM ET MENS HISTORICA.

De Nazareni corpore quod repente post mortem evanuit, doctrinæ catholicæ maximum mysterium fidei (resurrectio et ascensio) una cum Nazareni matris mortis mysterio (Mariæ pura conceptio et assumptio cælestis anima et corpore), theologia dogmatica et historia hominum semper inter se civiliter observabunt sed numquam una consentient.

Tempore Romano classico, ædificium cui nomen erat «Pantheon» exemplum civile illustre fuit quia pacis universalis præceptum habebat. Romani pacem inter religiones volebant, neque dominationem obstinatam. Itaque in «Pantheon» signa et simulacra omnium

religionum una adfuerunt. Condicio et pacifica et minima et necessaria una fuit: nihil contra Romam esse debebat.

Anno 609 Bonifacius IV Papa locum mutavit. Non pro deo catholico uno, sed pro omnibus sanctis catholici consecravit. Ergo novum præceptum fuit: «Non multi dei sed multi sancti». At tempus semper currit et sæculo vicesimo, secundum Iohannem XXIII Papam, non pauci sancti probatio[n]e historica falsi declarati fuerunt omnino, ergo homo ille optimus eos delevit pro veritatis amore.

Hodie sancti circiter 10.000 sunt, multo magis quam dei Romani fuerunt, sed permulti oblii sunt de Pauli apostoli theoria, quæ dicit «omnes christianos ‘probos’ sanctos esse». Probitas quidem humanitatis bonum universale est omnino: «Homo omnium rerum mensura est, earum quæ exstant necnon quæ non exstant» (Protagoras).

Pro pace sociali nemo philosophiam vel scientiam fide theologica obscurare potest: si fides adsit, recte adsit! Si non adest, simpliciter non adest quia «cives inter se colere debent pariter, sine privilegiis». Instar Ciceronis: «Ius ac fas colere». Hodie in Europa Occidentali «fas colere» ad omnes religiones pacificas populares hodiernas attinet.

Papam hodie habemus, cui nomen est Franciscus, qui humilis et liberaliter loquitur et ad pacem permulatum adiuvat, quia iustitiam pro pauperibus et infirmis maxime proclamat. Quam ob rem, omnes cives eum servant, sive credentes sive non credentes.

In cultu democratico hodierno, primum humanitas deinde theologiae, quia Christianismus unus non est et numquam fuit, usque ab origine.<sup>4</sup> Hodie 43 sectæ christianæ in mundo sunt et sæculis præteritis odium contra Protestantes historia pessima fuit, ut Ecclesia Valdensis docet, quæ tam vehementer quam in Francogallia (Cf. G. Licoppe, *Melissa* 185), quacum conexus exstabant, multos martyres habuit. Franciscus Papa veniam petivit.

Post alterum bellum mundanum, anno 1965 Ecclesia Catholica encyclica «Nostra ætate» aliquid mutavit in sermone religioso.

Dogma de trinitate (pater, et filius et spiritus sanctus unum tantum sunt) et de arianismo (Nazareni substantia «humana» tantum est) et de monophysismo (Nazareni substantia «divina» tantum est), post quartum sæculum controversias effecerunt quæ finem ultimum habuerunt in Concilio Vaticano I inter annos 1869-1870 effecto.

Itaque hodie ariani et monophysitæ Ecclesiæ inimici iam non sunt quia ambo consulto æque recti in

Concilio æstinati sunt. Scilicet, doctrina officialis semper trinitas est, sic ut sub finem quarti sæculi facta est, Theodosio imperante.<sup>5</sup> Post longum tempus durum, interdum cruentum, Concilii Vaticani I sententia illa tam callida et opportuna quam quæ maxime fuit.

Trinitas fide solum solvi potest, si fides adest, quia sine experientia ratio scientiaque nihil facere possunt. Philosophice experientia est comprobatio et confirmatione in mundo sensibili.

E.g. de miraculis, de visionibus et de exorcismis quid dicamus? Præceptum humanum historicum ergo unum est: ad vitam nostram fovendam historia, philosophia atque scientiae necessariæ sunt, neque metaphysica quia modus ille cogitandi et sentiendi atque agendi, id est vivendi, experientiam transcendit.<sup>6</sup>

#### 5. CALOR HUMANUS ET FERVOR DIVINUS.

Clare, Iordanus Brunus et Galileus multa docent in historia universalis. Bellarminus Cardinalis, qui eos interrogavit in Inquisitione, maximus doctor ecclesiæ proclamatus fuit. Ecclesia Catholica se excusavit pro Galileo, post 4 sæcula et dimidium, ut paulo ante fecerat pro cruciatis post 8-9 sæcula vel plura (prima cruciata decimo sæculo accidit). Sed veniam non petivit pro Bruno post 4 sæcula, qui a Tribunali Inquisitionis rogo condemnatus est et corpus eius in strue combustum est, qua re iuveni philosopho illi monumentum hodie erectum est Romæ in platea «Campo de’ Fiori» vocata. Hoc casu se excusare haud facile fieri potest, quia Robertus Bellarminus anno 1930, dictatura imperante in Italia, sanctus factus est a Pio XI et nomen eius in Calendario die 17 mensis Septembris scriptum est. Papa ille facile sanctificabat (e.g. Mussolini publice ex cathedra a Pio XI laudatus est ut «homo providentiæ divinæ»).

Galileus, vir humanissimus, sua proprius theoria mundum nostrum mutavit. Nobis explicavit id quod Dantes Alagherius de cælo nesciebat et vitam nostram meliorem fecit.

Ecclesia Catholica multum perdidit inter homines doctos, quorum aliqui fuerunt qui libros scripserunt et pelliculas cinematographicas fecerunt in mundo hodierno.

#### 6. NOMEN ET OMEN.

Carolo Magno imperante, permulta acciderunt et Sacrum Romanum Imperium initiavit id quod finem tantum habuit postquam Napoleo Bonaparte in Europa imperavit et multa acclaravit cum Ecclesia Catholica. Græce Καθολικὴ Ἐκκλησία ecclesiam ad mundum integrum pertinere significat.

Hoc nomen natum est cum Ecclesia Catholica facta est «Ecclesia Imperii Romani Orientalis». Illo tempore cito impetum fecit contra paganismum Romanum, post Theodosium Imperatorem, de quo recordamur de templis paganis violenter deletis et de historia crudeli et cruenta Hypatiæ et Cyrilli Alexandrini. Postquam «gladio» ut barbarus ferus iuvenem mulierem docilem et inermem et innocentem laceravit, quare Cyrillus Alexandrinus homo ille terrificans, dux «parabolorum», qui horribiles homines scelesti fuerunt, sanctus factus est et in calendario die 27 mensis Iunii memoria tenetur?

Doctissimæ Hypatiæ Alexandrinæ martyrium est historie humanitatis signum indeleibile. Intra 70 annos circiter, usque a Constantini edicto a. 313 emiso usque ad Theodosii Thessalonicae edictum a. 380 emissum, Ecclesiæ Catholicæ imago formam et naturam mutavit ab humili Ecclesia cruce vexata ad Ecclesiam locupletem vi et gladio vexatricem.

Ergo tres Imperatores consecravit: Theodosium, Carolum Magnum et Napoleonem.

#### 7. LUMEN ET OBSCURITAS.

Pro nobis qui hodie sæculorum lumen filii sumus, nostræ ætatis administratio publica, ut locus unus ad iura humana fovenda, Napoleonis donum est democratiæ hodiernæ datum, quam populi hodie permultum amant contra dictaturas. Italia multum habuit. Napoleo et uxor eius in ecclesia consecrati sunt (cf. G. Licoppe, *Melissa* 185) sic ut ante 1000 annos circiter Carolus Magnus Sacrum Romanum Imperium incep- rat. Ipse coronam sibi ipsi in capite ponere voluit et

uxorem imperatricem coronavit manibus suis quoque.

In Italia, breviarium historicum Ecclesiæ Catholicæ permulti nesciunt, fortasse plerique. Breviarium historicum regiminis colonici Italici permulti nesciunt quoque. Certe Italiæ honor numquam delebitur quia error ille perfidus et culpa ea gravis inhumana ad omnes Italos non attinet omnino. Utcumque, ad terras latas et divitias maximas obtinendas regimina fuerunt quæ cum ecclesiis christianis una operam consociatam in mundo dederunt. Scilicet, ad pacem petendam in durissima œconomia hodierna, hæc historia numquam occultanda est quoque, quoniam necessaria est.

Ubicumque hodie homines credentes vel non credentes sunt qui, iustitia et probitate et concordia, vitam certam pro omnibus in mundo volunt: hoc semen germinaturum est et Europa nostra quoque germinatura, constitutione confœderata. ☩

1. Gaius Licoppe, *De Romano Imperio Orientali*. Radices historicæ sunt de Iesu catholico.

2. Mauro Pesce, *Inchiesta su Gesù*. Permulta sunt de Iesu historico.

3. *Constitutio Reipublicæ Italicae, Principia Fundamentalia*, cap. III. Charta Constitutionalism Italica post alterum bellum mundanum anno 1947 scripta est et a populo Italico comprobata est ut «lumen vitae civilis et socialis».

Humanissima est, non minus quam Charta Universalis Iurium Humanorum a Nationum Unitarum Ordinatione anno 1948 scripta.

4. Mauro Pesce, *Op. cit.*

5. Gaius Licoppe, *Op. cit.*

6. Immanuel Kant, *Kritik der Praktischen Vernunft*. In philosophiaæ historico itinere, liber ille «milliarium aureum» est.



**MILLIARIVM AVREVM**

*Subridere valetudini prodest et conscientiam animat.*



# *In hoc fasciculo !*

*Quid minimum sit discipulos docendum (III) [G. Licoppe] p. 1*

*De Croatis Burgenlandiensibus [M. Hirschler] p. 2*

*De litteris sœculi XVIII Latinis prolusio (II) [Th. Sacré] p. 5*

*De iucunda fabella alchemica [S. Feye] p. 9*

*Atlantis. III - Olaus Rudbeck œcumque nostrum [F. Deraedt] p. 12*

*Ieshu Nazaren Bar Ioseph, humanus an metaphysicus? [V. Sebastiani] p. 13*

*Imago tegumenti: Alexander Volta, inventor pilæ electricæ hic ab ipso delineatæ,  
etiam fuit poeta Latinus, ut monstratur pagina 5 huius fasciculi.*

*N.B.: Re vera erat «pila» alternorum discorum cupri et zinci,  
interposita tela aqua salsa imbuta (Wikipedia).*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

in museo Domus Erasmianæ a Melissa præbetur omni Martis die ab hora 18 ad horam 19.30. Duo sunt lectionum gradus, et incipientibus et magis progressis apti.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.lkoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

